



Verdingus animi & corporis uirtutibus exor-
 natus à Saxonibus princeps constitutus fuit,
 Anno post Christum natum quinquagesimo. Is
 cum Haneso fratre suam gentem egregiè guber-
 nans, finitimos populos subegit atque Danis ma-
 gnum terrorem incussit. Itaque Frotho Danorum
 rex maximis copijs collectis, eos bello petijt. Ve-
 rùm Suertingus huic sese fortiter opposuit, atque
 cum eo apertis campis cruentum prælium comi-
 sit. Eius belli uictoriam quæcque natio sibi arrogare
 conata est. Nam toto die dubio Marte pugnatum,
 donec tandem nox pugnam diremerit. Tandem
 uerò sequenti die res tota duello Starcatheri & Ha-

mæ commissa fuit. Ibi Dani superiores fuere. Ut itaque Suertingus suos serui-
 tute pressos liberaret, Frothonem in Saxonia uersantem hospitio suscepit, at-
 que inter cœnandum domum igne consumere iussit. in eo ipse cum Dano-
 rum rege interiit, atque suam patriam solito tributo liberauit. Exemplum De-
 ciorum apud Romanos secutus. Alb. Crantz. Sax. lib. 1. cap. 12.